



Syllabus Differiar.

- 1.) Bochmer de secundis nuptiis, praecipue illustrissimarum
- 2.) Krautmann Acta Cive, in puncto nullitatis matricis  
monii ob defectum liberis consensu.
- 3.) Vingespaner de Iure Domicium domi. Præstiductio  
q[uod]libet.
- 4.) Wurthius de Bonis conjugum et illatio, et duran-  
te matrimonio acquisitione.
- 5.) Augustinus de sponsatibus, probatione, obligatione,  
et dissolitione sponsaliorum.
- 6.) Argyri de officio iudicis, circa officio iurationem.
- 7.) Bochmer de causis arduis et majoribus.
- 8.) Argyri de probanda rectione crediti.
- 9.) Audorici de coelibatu pecuniae nomine imposito.
- 10.) Bochmer de Iuris parochialibus. von Güßner.
- 11.) Bochmer de diverso signoris et hypothecariorum  
iure.
- 12.) Argyri de Iure misericordia.
- 13.) Thomassius de Origine Processus Inquisitorum
- 14.) Thomassius de Iure circa somnum et somnium  
vom Abrost und Wolff. v. d. Heinen.

- 15) Bochmer de casu quadam usurario.  
16) Romanus de privilegiis moratoriorum con*n* iusti  
num Brianum.  
17) Hohenfeil Usrum successor singularis expellere  
quale*t* conductorem. *ad* 1622. A. M. 1622. B.  
18) Bochmer de Codicillo ab*q* testibus valido.  
19) Bochmer. Iura statuum protestantium circa  
monasteria catholiconum.  
20) Thomasius de Iure consuetudinis et obser-  
vantiae.  
21) Lymer. de Leendo pecuniario.  
22) Bochmer de anno decurso si. Salario pro-  
mecito.  
23) Bochmer de Iure Epistalmatis con*s* iust*ff*.  
24) Hundling. de Transactionum stabilitate  
et instabilitate.  
25) Hundling de Univeritate delinqvente  
ejusq; poenio.

- 26.) Thomasius de Iure Detractionis.  
27.) Boehmer. de Poena ius sibi dientis sine iudicio.  
28.) Boehmer. de Iure Dilurgido.  
29.) Anderwig. Differ. d. Rom. et Geom. in digni-  
tate exordio. (ca) Mundial et Sal  
30.) Thomasius de Origine Animae humanae  
31.) Agric. de presumptione per magistratu.  
32.) Agric. de designatione patris a matre in  
fanticis facta.  
33.) Boehmer. de Nominiibus Ecclesiasticis con-  
stitutis in Passio Christi (Opusculum)  
34.) Boehmer. de Observantia Ecclesiastis  
ca

3.

D. ERASMI UNGEPAUR,  
ICTI EMINENTISSIMI, CONSILIARII SAXONICI GRAVISSIMI,  
FACULTATIS JURIDICÆ SENIORIS MERITISSIMI, NEC NON CURIÆ  
PROVINC. ET SCABINATUS ASSESSORIS SPECTATISSIMI,

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**JURE DOTIUM,**

Vom  
**Recht der Ehe-Selder/**

IN ACADEMIA JENENSI  
ANNO M. DC. XXXVIII.  
HABITA,

RESPONDENTE  
**ALBERTO PHILIPPO von Schlotheim,**  
EQ. THUR.



---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
APUD IO. CHRISTOPHORUM KREBSIUM, MDCCXXIV.

D. ERASMI UNGEPRÄUR.  
ETI. ERASMI COMMUNICAT. A. 1500. GRABARI  
LONDINI. TYPIS ET SCULPTORIBVS IO. HENRICI R. STETTERI.

DISPUTATIO IURIDICA

DE

# JURE DΟTΙUM



IN ACADEMIA LINNEI

ANNO MDCXXVII

PRINTATA

LUDOVICO VITALE

LIBERATO LINNIO IN EDITIONE



AD CHRISTOPHORUM KIRSTENIUS DECIMAM



Σὺν Θεῷ νοῦ νῷ.

## DISPUTATIO JURIDICA

# DE JURE DOTIUM,

Vom

## Recht der Ehe - Gelder.

### ARGUMENTUM.

THESES I. Vocabuli dotis etymologia, homonymia, synonymia, definitio.

II. Est vel prosectoria vel adventitia.

III. Personae que dotem constituant suo nomine, 1) ex linea ascendenti pater. Heretica filia non est dotanda,

IV. Nec que turpiter vivit, nec que circa patris consensum nubis.

V. Pater naturalis tantum filie de dote prospiceret non tenetur.

VI. 2) ex linea discendentii filius matrem dotare non tenetur:

3) ex collateralii frater consanguineam dotare compellitur. Alieno nomine tutores & curatores.

VII. Dotis materia, qualitas,

VIII. Quantitas.

IX. Modus dotem constituendi vel inter vivos dos ipsa expresse, tacite

X. Dotis obligatio.

XI. Vel ultima voluntate.

XII. Lex pactis dotalibus prescribitur, quae servanda.

XIII. Finis.

XIV. Effectus concernens dotis obligationem.

A 2

XV.

XV. *Ipsam dotem constitutam.*

XVI. *Consestaria.*

XVII. *Repetitio dotis fit matrimonio soluto, morte mariti, morte uxoris,*

XVIII. *Divortio;*

XIX. *Constante matrimonio, i) si maritus facultatibus labitur:*

2) ob mariti deportationem, 3) pietatis rationem.

XX. *Quando restitutio dotis facienda.*

XXI. *Aetio. Extraneus agit ex stipulatu & prescriptis verbis: mulier & parens ex stipulatu, rei vindicatione & actione hypothecaria.*

### THESES I.

*Vocabulū do-*  
*tis Eymolo-*  
*gia,*

*Homonymia,*

*Synonymia,*  
*Definitio.*



**O**CABULUM dotis, quod à dando descendere putat Wesenb. n. 2. h. 1. æquivocum esse patet, quod accipiat vel large, & improprie, Genef. 30. v. 6. quo modo etiam a JC-tis pro ferramentis & instrumentis agri usurpatur, l. 2. l. 20. §. 1. de Instrucl. leg. l. 52. §. 2. d. fidejuss. & largitio in fundationem facelli facta dicitur ecclesia dos, cap. cum si- cut. 8. d. consecrat. eccl. vel altar. c. nemo. 9. d. consecrat. dist. 1. vel preße, & proprie pro pecunia, quæ datur marito nuptiarum causa, l. 39. l. 48. h. tit. nobis vocatur Mitgiff, Heyrathsgut, Brautschätz, Chestewer, Chiegeld. Definitur a Vult. dos, quod sit jus in re marito constitutum ad onera matrimonii facilius sustinenda. Ad pr. Inst. quibus alien. licet vel non n. 12.

*Divisio.*

Dispensitur in profectitiam & adventitiam, l. 81. h. 2. l. 4. C. de colla'. l. ua. §. 1. C. d. rei uxor. ad. Illa est, quam pa-rens mulieris, ut parens, vel avus ejus paternus de bonis suis, vel facto constituit. l. 5. h. 1. Ubi interest (1.) ut à pa-tre tanquam proficiscatur, l. 5. §. n. h. 1. si enim eam dede-

### II.

Dispensitur in profectitiam & adventitiam, l. 81. h. 2. l. 4. C. de colla'. l. ua. §. 1. C. d. rei uxor. ad. Illa est, quam pa-rens mulieris, ut parens, vel avus ejus paternus de bonis suis, vel facto constituit. l. 5. h. 1. Ubi interest (1.) ut à pa-tre tanquam proficiscatur, l. 5. §. n. h. 1. si enim eam dede-

## DE JURE DOTIUM.

5

dederit, ut debitor, non profectitia, sed adventitia censetur. *I.s. §. 6. & 9.* In dubio si non constat, an pater, ut pater, dederit, profectitiam esse afferimus. *I.s. §. 12. b. tit.* Hinc dos ab avo paterno data, mortuo eo, habenda est profectitia, ac patri jure profectitiae restituenda, si scilicet non expressum, an filii, an neptis contemplatione data. *I. 6. d. collat.* si vero nominatum expresserit, aliud juris est. *I. 79. b. i. vid. Bach. ad Tr. vol. 2. disp. 6. lit. c.* (2) Ut ex bonis patris detur, vel avi, vel inde data intelligatur, horum enim alterum ni intervenerit, dos profectitia non erit. *I.s. §. 5. b. t.* Parum enim refert, an parens ipse dotem dederit, sive ejus nomine alias, veluti procurator, negotiorum gestor, *d.I.s. §. 1.* sive curator, *§. 3.* sive Prætor vel Præses, *§. 4.* sive etiam fidejussor, pro patre promittente dotem solvere. *§. 7.* Neque filiam in potestate esse opus est, cum non jus patriæ potestatis, sed nomen parentis dotem faciat profectitiam. *I.s. §. 11.* Idem de avo & proavo mulieris paterno statuimus. *Obrecht. disp. 15. th. 26.* Hæc est, quæ a muliere vel ab extraneo cuiuscunq; sexus vel conditionis constituitur. *d.I.s. §. 11. I.un. §. 13. d. Rei ux. act.* Extraneus autem hic dicitur omnis, citra parentem per virilem sexum ascendens, & in potestate dotatam personam non habens. *I. 31. §. 1. C. b. 2. I.un. §. 13. C. de rei uxor. act.* Promittentes dotem, cuiuscunq; sint sexus aut conditionis, obligantur, *I. 14. b. t.* neque quicquam interest, filius familias sit, an paterfamilias, masculus an foemina, *I. fin. C. ad SC. Vellejan.* modo non sit minor, (quia alias causa cognita restitutio datur. *I. 78. C. b. t. I. ff. & C. ad SC. Vellej.*) nec metu, nec dolo, nec in fraudem creditorum fiat promissio. *I. 21. §. 3. quod metus causa l fin. §. 1. que in fraud. cred.*

## III.

Dotem pro sua progenie dat pater ex paterno officio, *Personæ, que l. fin. C. d. dot. promiss. idque, tum ut facilius contrahatur, tum, dotem confi- ut concordantius conservetur matrimonium, I. 2. b. t. quod si tuant suo no- facere recusat, etas vero virginis & pudor coniubium ma- mine,*

A 3

turare

i. Ex linea  
ascenaeanti  
pater

turare jubeat, per magistratum ad hoc compellitur, l. 19. d. rit. nupt. indeque mutuum à filio fam. acceptum & pro foro in dotem datum, in rem patris versus dicitur, l. 17. ad SC. Macedon. si vero sponsus & gener futurus dotem non cupiat, nulla ratio cogendi supereft. Bach. disp. 7. th. 2. lit. B. Compellitur autem parens ad dotandam filiam, si adhuc in sacris paternis extiterit, secus si emancipata, l. 5. §. u. & 12. l. 44. l. 51. h. t. Arum. disp. 15. th. 7. si vero egeat, nec sine dote conditionem invenire possit, patrem posse ad dotem dandam adigi, aequitatis est. Bach. ad Ti. vol. 2. disp. 7. th. 2. lit. O. Preterea tenetur daturare parens filiam iterato nubentem, quem casum sibi in familia sua contigisse testatur Zaf. §. fuerat. Inst. de act. nisi dolo & culpa mulieris desperdita sit dos, Nov. 97. c. 5. in fin. fac. l. 22. §. 1. fol. matr. Guib. de jur. dot. c. 3. n. 3. Aliud dicimus de filia locuplete, cum hic cessante legis ratione, lex cesset, & alimentorum potiorem, quam dotis rationem esse constet, l. 4. d. agn. vel al. lib. Arum. d. l. Bach. ad Treut. distinctione rem expedit. Nec etiam hæretica dotanda est, cum liberi hæretici ipsa parentum successione priventur, l. 19. C. d. hæret. & manch. & indigni sunt iisdem cum orthodoxis frui privilegiis. Nov. 109. c. 1. Nov. 15. c. 3. §. 14. modo parens hujus sectæ non fuerit addictus. arg. l. u. C. de inoff. Quo tamen non referimus eam, quæ à Lutherana ad Pontificiorum, vel vice versa, religionem defecit, cum enim in Constit. pacificate Relig. d. 25. Septemb. Anno 1555. in Comitiis Augustan. jussu Imperatoris Caroli V. a Ferdinando Rege Romanorum unanimi procerum consensu solemniter promulgatam. §. Sehen deminach. & s. Qno aber unser. & à Maximiliano Cæsare 30. Maii anno 1566. in Comitiis Augustanis confirmatam. §. Und nachdem den nicht weniger. Utraque religio in Imperio permitta, nullam ex hoc casu exheredationem, multo minus dotis privationem concedendam esse arbitramur. Schönborn lib. 4. Polit. c. 6. Syring. d. pac. Relig. th. 38. lit. A.

## IV.

Nec que

Filiæ etiam, quæ turpiter, & cum flagitiosa fœditate vivit,

vivit, recte parens dotem denegat. *l. si filiam 19. C. d. inoff. testa-* turpiter vi-  
*ment. cum durum sit, cogi patrem dotare filiam, quæ paren-* vit,  
*tibus, & toti familiae luxuriosa sua vita maculam inurat;*  
*quod tamen restrictionem recipit (1) si scilicet pater filiam*  
*25. annis maiorem marito copulare differat, tunc enim eam*  
*dotare debet, quia filiae sic occasionem peccandi dedisse in-*  
*telligitur. Aut. sed si post. C. de inoffic. testam. Novell. 15. c. 3. §. 11.*  
*(2) Si filia preniteat, & mutatis moribus honeste nubere cu-*  
*piat, humanius est ei dotem non denegari, l. 23. C. d. nupt. Bach.*  
*ad Tr. d. disp. th. 10. lit. F. De filia, quæ erga parentem ingrata*  
*exitit, res clara est, cum ea exheredari, Novel. 22. c. 27. multo*  
*magis dote privari possit. Jason in § fuerat. Infl. d. a. f. num 117.*  
*Quod & dicendum de filia citra patris consensum nubente, nec que citra*  
*quoniam hic nulla dos, nullæ nuptiæ, imo stuprum potius patris con-*  
*contraictum intelligatur. Iu. de statu hom. §. si aduersus. Id. nupt. sensum nu-*  
*Et etiam nuptias patre ignorante vel improbante contrahi, bit.*  
*& patrem dotem dare teneri, quandam implicet contradictionem Bach. d. disp. lit. G. Diff. Ant. Merend. l. 2. controv. Jur. ci-*  
*civil. c. 12. Si vero parens consultus, iustam reluctandi causam*  
*non habeat, benignius est, eam dotis privatione non multari,*  
*si præsertim bonarum sit facultatum, arg. l. 19. ff. de rit. nupt. re-*  
*frenanda enim & compescenda quorundam parentum im-*  
*portuna saevitia filias vel honestissimo cuivis nubere prohi-*  
*bentium. Schneid. part. 2. n. 27. Infl. de Nupt.*

## V.

Et hæc, quæ proposuimus, obtinunt in patre naturali *Pater natu-*  
*& legitimo simul, pater vero naturalistantum filiæ de dote *ralis tantum**  
*proplicere non adigitur, l. 41. §. 11. d. leg. 3. l. 8. C. d. natural. lib. filie de dote*  
*juncti Nov. 89. c. 12. Ex quibus ut maxime velit, non nisi certam *prospicere**  
*quantitatem, quoconque modo in liberos naturales trans-*  
*ferre potest Diff. Campag. p. 1. q. 17. Quod si tamen filia natura-*  
*lis plane fuerit inops, ex causa ad officium magistratus per-*  
*tinere, utrum dotanda sit, concedi potest, dummodo ne plus*  
*accipiat in fraudem. l. 8. C. de natur. lib. & Nov. 89. c. 12. Bachov. d.*  
*disp. th. 2. lit. H. De spuria idem asseritur, arg. d. §. pen. Nov. 89. ut*  
*&*

DISPUTATIO JURIDICA

8

& multo magis de ea, quæ ex incesto & nefario complexu nascitur, cum illa ne quidem naturalis appelletur, nec stricta juris civilis ratione alenda sit, *Auth. ex complexu. C. de incest. nupt. licet de æquitate, quam sequitur jus canonicum, c. cum haberet extra de eo, qui duxit in matr. quam poll. aliud servetur, prout in Scabinatu pronunciatum refert Cl. Dn. Hillig.* in *œn. de success. ab intest. memb. seet. 3.* Unde etiam in judicio Cameræ patrem spurium moderate dotare posse conclusum esse, testis est Gail. l. 2. obser. 88. n. 4. Non solum autem pater, sed & avus neptem, quam in potestate habet, *§. ult. J. d. patria pot. dotare tenetur. l. 19. de rit. nupt. l. 16. d. collat.* Idque etiam ad proavum recte porrigitur, quæ assertio a Dd. restringitur, utrum demum avus paternus ad dotis constitutionem necessitate astringatur, si ob paupertatem pater dotem filiabus conficerere non possit, *l. 19. §. 1. vers. Sed & dotes. C. d. Hæret. l. 7. §. fin. ff. d. in rem vers.* Plane olim apud Taxillos, ut Strabo lib. 15. Geograph. ait. Qui filias præ inopia elocare non poterant, hoc præsentaneo remedio utebantur: filias in ipsa ætatis flore in forum producebant cum tuba & classieis, quibus bellica significari solent. Tum vero multitudine convocata, puella accedentibus ante, & pone usque ad humeros corpus detegebant, ac deinceps cum placita & probata esset, quibuscumque videbantur, nubebant. *Guib. d. dot. c. 3. in fin.*

VI.

*2. Ex linea descendenti mulieri conjunctus est filius, qui matrem suam dotare non tenetur. Obrecht. d. disp. th. 109.* Quod si tamen per hoc filii potius honor conservaretur, *trem dotare quam imminueretur, arbitrio judicis dico esse relinquendum. Bach. d. disp. th. 3. lit. F. & G.* Ex collaterali venit frater, *3) Collatera- qui si dives & germanus est, consanguineam dotare com- frater con- pellitur. per l. 12. §. 3. vers.* *Sed non dabit. ff. de administ. & sanguineam per. tut.* Sic feudis paternis ad collaterales devolutis, filia dotare com- bus, nisi perse habeant, unde dotari possint, ex iisdem dos pellitur. *constitui debet. Landrecht sub rubr.* Von Theilung der Brü-

Brüder und Mitgiffi der Schwestern aus dem Leben. Et ita pronunciat Magnif. JCtorum ordo in hac celebri Salana Anno 1616. mense Novembris. & Scabinatus Lips. teste Schneidev. §. fuerat. n. 97. J. de aft. Et satis de iis, quæ ex linea paterna mulieri conjunguntur. Ex linea materna est mater, quæ ad constitutionem dotis filiæ non adstringitur, adeo ut ne quidem pater ex bonis ejus ea invita dotem assignare possit. l. 14. C. d. Jur. dot. Nisi (1) ex magna & probabili causa, quæ Dd. est, non tantum inopia patris, sed etiam hoc mortuo, inopia filiæ, vel etiam, si Reipubl. intereat. Giphian. ad l. fin. C. d. dot. prom. p. 397. (2) Lege specialiter expressa. d.l. 14. si faciliter mater sit Judæa, filia Christiana, non vero si sit hæretica, filia orthodoxa. ex l. 19. §. 1. C. de heret. cum hæreticorum bona indistincte confiscantur. Aurb. Gazaros. C. de heret. Bach. ad Tr. d. disp. th. 3. lit. B. Diff. Obrecht. disp. 123. & alii. Quæ de matre dicta, eadem de avo materno dicenda videntur. arg. l. 6. C. d. coll. bon. Pari modo tutores & curatores pupillis Alieno nomine & adolescentibus suis dotem constitutere compelluntur. mine tutores l. 69. §. 5. b. t. l. 28. C. d. Episc. aud. & quidem pro modo facultatum, si enim plus promiserint, de suo id supplerre tenentur. l. 43. §. 1. vers. prætereaff. d. adm. & per. tut. l. 25. §. 2. in fin. ff. d. probat.

## VII.

In dotem dari possunt res omnes, quæ in commercio Dotis matræ esse possunt, sive sint mobiles, quæ pondere, numero & mensura constant, ut pecunia, sive res foli, ut domus. l. 42. & seq. b. t. l. un. §. 7. C. d. rei ux. Act. Tam incorporales, quam cor- Qualitas, porales. l. 7. §. 3. l. 54. b. t. Incorporales sunt hæreditas, l. 13. §. 10. d. pet. hered. 2. ususfructus, l. 7. §. 2. l. 78. pr. b. t. l. 17. C. b. t. quo in dotem constituto, non ipsi fructus, sed jus ipsum in dote est, idque ipsum soluto matrimonio restituui debet. l. 7. §. 2. l. 6. C. d. Usufr. Quamvis etiam hoc pacto in dotem dari possit, ut non ipse, sed saltem fructus inde percepti fiant dotales, & maritus fruatur usuris, quæ ex fructibus collectis & inter fortē redactis percipi possint. l. 4. d. pac. dot. 3.

Nominal. 2. C. d. oblig. & aſt. l. 41. §. 3. h.t. Feudum quod spe-  
ctat, pater illud in dotem dare prohibetur. § donare. 2. feud.  
9. niſi de fructibus feudi dotem conſtituat, ut maritus fru-  
ctus ex re feudali tantisper percipiat, quounque ſocer vixe-  
rit. Gail. l. 2. d. pac. publ. c. 17. n. 18. Et ita ſalvari poſſe Nobilium  
at̄atis noſtræ uſurpationes, qui, dum feuda pro filiabus  
in dotem dare conſueverunt, fructus faltem pro dote obli-  
gaffe intelligantur, putat Mynſing. cent. 2. obf. 86. A foemina  
autem ipſa feudum, quod teneret, in dotem dari poſſe putar-  
mus, cum haec datio non alienatio, ſed jus foeminae poſt l.  
31. C. b. t. maneat integrum, nec quicquam inferatur prajudicium  
Domino. Bach. d. disp. 7. th. 4. lit. A. quod & non niſi  
feudo in aestimato dato, & pacto de lucro dotis non interpo-  
ſito admittitur. Dantur & in dotem res alienæ. l. 6. §. 1. l. 34.  
h.t. l. u. fol. matr. inde vero non prajudicatur domino, ſed  
habet rei vindicationem. l. 34. l. 67. b. t. quomodo autem  
marito, ſi res evicta fuerit, poſſit ſuccurri, monſtrat l. 1. C. b.  
2. l. 1. C. d. Rei ux. aſt. Bachov. hic th. lit. C. Porro in dotem  
dantur res aestimatæ & in aestimate. l. u. pr. & §. 1. b. t. Haec  
proprie dotales ſunt. l. un. §. 9. & 15. C. d. rei ux. aſt. Aestima-  
tio vero fit vel venditionis gratia, vel ideo, ut conſtet,  
quanti res ſit. l. 69. §. 7. h. t. ne ſi ſoluto matrimonio redden-  
dæ, earum vero species aliqua deminuta aut perdiſta, alio  
precio, quam quo taxatae, reposcantur. l. 21. C. b. t. Bach.  
d. l.

## VIII.

Quantitas.

Rerum in dotem dandarum qualitatem ſequitur qua-  
ntitas, que est vel definita, vel indefinita; Definita, quando-  
res, vel species, vel quantitas exprimitur. l. 69. §. 4. h. t. l. 1. C.  
d. dot. promiss. Et quantum quis in dotem dare velit, cuivis  
relinquitur arbitrio. Pater autem tenetur dotare filiam ſe-  
cundum conditionem personarum, & ſui patrimonii qua-  
ntitatem. d. l. 69. §. 4. h. t. licet etiam de dote tempore nuptia-  
rum nihil fuerit dictum, cum pater ad maritandum, & ad  
dotandum obſtriclus ſit. l. 19. d. rit. nupt. Porro mulier ſua  
bona.

bona omnia in dotem dare potest. *l. 72. ff. b. t. l. 4. C. b. t.* Etiam liberis extantibus, cum dos hodie non in lucrum mariti cedat, sed ad hæredes transmittatur. *l. un. §. 6. d. rei ux. a. d.* si vero in promissione dotis ultra vires patrimonii circumscripta, ut illud totum absumatur, restitui potest. Si minor *l. 69. §. 1. d. min. l. un. C. s. adversus dotem.* ut & hæredes, si tempora, intra quæ ex persona defuncti postulatur restitutio in integrum, non abierint. Si major, ex æquitate illi succurritur, *l. 6. §. fin. b. t.* *Bach. d. diff. th. 4. lit. F. & Hillig. 21. 10. lit. F.* Indefinita est, quando neque res *l. 69. §. 4. b. r.* neque species *l. 1. C. d. dot. promiss.* neque quantitas dotis *l. 3. C. eod. promittitur.* Et est vel indefinita cum arbitrio, quæ promissio valet, *l. 3. C. d. dot. promiss.* ubi arbitrium boni viri tales vim habet, ut res promissa detur pro modo facultatum, pro dignitate mariti, consuetudine loci & numero liberorum, *l. 43. d. leg. 3.* vel definita pure sine mentione arbitrii, veluti si quis simpliciter dixerit: Dotem tibi dabo, *l. 69. §. 4. b. t.* Quam si parens vel avus paternus promittit validam, per *l. 69. §. 4.* Si mulier sive aliquis extraneus inutilis per *l. 1. & 3.* esse existimamus, quoniam cum pater ex officio teneatur dotare filiam, *l. 19. d. rit. nupt.* censetur ei dotem, licet pure indefinitam promisisse pro sua facultate & officio debito filia, *d. l. 69.* cum & alias absque promissione hac ad dotandum compelli possit. Contra nullus est legibus modus definitus nomine dotis, ad quam mulier citra conventionem teneatur. Ideoque talis promissio à muliere sive extraneo facta indefinite, tanquam incerte, non sufficit. *Bach. d. th. 4. lit. D. Giph. d. t. l. 1. Diff. Ant. Guib. c. 4. n. 3.*

## IX.

Constituitur vel inter vivos, vel ultima voluntate, tum *Modus dotis ipsa*, tum *dotis obligatio*; *Dos ipsa* inter vivos constitutum constituitur variis modis, & quidem (1) vel traditione, sires dota-tuendi vel lis de manu in manum transfertur. *l. 46. §. traditione. b. 1. l. 10. C. inter vivos d. p. a. d. vel (II.) quasi traditione, quæ sit tripliciter: I. Cessione, Dos ipsa.*

B 2

si quis

si quis in jure profiteatur, se dotis nomine usumfructum,  
**Expresso.** vel jus utendi fruendi cedere. 2. Cautione, ut si is, qui alteri in suo fundo dotis nomine usumfructum vult constitueret, caveat per se non fieri, quo minus ille hoc fundo utatur, fruatur. l. ult. ff. d. servit. l. 3. §. 2 d. act. empt. 3. Patientia, si quis alterum dotis nomine suo fundo uti frui permittat. l. 3. pr. d. Usufr. Vel (III.) Delegatione debitorum, si mulier, vel extraneus efficit, ut debitor marito tantum, quantum debet, dotis nomine promittat. l. 2. C. d. O. & A. l. 56. pr. l. 78. §. ult. l. 83. b. tit. Quo casu marito imputatur, si debitorem non compulerit ad solutionem, cum erat solvendo, si postea factus sit non solvendo. l. 33. b. tit. Et si mulier pro dote ita delegat debitorem suum, ante nuptias non potest conveniri, quia promissio in pendentia est. Rog. d. dote. arg. 3 n. 20. Campeg. p. 1. q. 40. vel debiti remissione, qua sit vel nudo pacto, vel acceptilatione, priori modo constituitur, quando marito debitori remittitur quantitas debita gratia dotis constituenda. l. 44. §. 1. l. 12. §. fin. b. tit. Roger. arg. 3. n. 10. Posteriori, cum femeina vel extraneus acceptum fert marito, ut id, quod debet, habeat ex dotis causa, l. 41. §. 2. b. t. nec refert ante nuptias, vel post acceptilatio fiat, l. 43. b. t. multum vero interest, acceptilationem nuptiarum fecutae fuerint, nec ne, non enim fecutis, acceptilatio praecedens nulla est. d. l. 43. b. t. His ita modis expresso dos sollet constitui, postea etiam tacito intellectu constituitur, & renovatur, utpote si mulier ad maritum, a quo discesserat, reddit, antequam dotem avocavit, quo casu renovato matrimonio, dos renovari censetur. l. 13. l. 40. l. 64. b. tit. Ut & si mulier divortio facto, partem dotis recepit, & post iterum, novis cum eodem contractis nuptiis, certam illi dotis quantitatem constituit, id quod ex dote anteriori penes maritum remanebat, in dote erit, ejusque constitutio tacite redintegratur. l. 66. §. 5. sol. matr. Non vero mulierem, per transitum ad secunda vota, censemus, tacite dedisse eandem dotem secundo viro, quam dederat primo, cum quia textibus juris nullis eadema dotis quantitas constituitur, tum quia uxor ad simi-

Tacite.

similem dotem posteriori marito dandam, obstricta non est, cum penes ipsam sit plus vel minus in dotem constituere, prout mariti conditio suadeat & qualitas; *Diss. Roland. a Valle quest. 77. n. 1. & seqq.* Quod eo casu afferimus, si ex primo matrimonio nulli remanerunt liberi, non officiente *l. 6. C. de secundis nuptiis*, cuius longe alia mens est. *Bach. d. diss. 7. th. 5. lit. B. Diss. Treut. d. l. B.* Nec exinde etiam, quod marito mulier bonis suis tacite utri frui permitte, dotis constitutio colligitur, *l. 9. S. ult. b. tit.* cum in dubio bona potius paraphernalia, propter praetjudicium mulieris, quam dotalia censeantur, nisi in instrumento dotis hoc cautum sit, seu aliæ conjecturæ id suadeant. *Bach. d. l. Campeg. part. 1. q. 39. Phan. de Phanuc. d. lucr. dot. gl. 10. n. 46. Rol. a Valle d. lucr. dot. q. 71. & 74.*

## X.

Constituitur dotis obligatio vel stipulatione, *l. 20. cum Dotis obligat. II. seqq. b. t.* ex qua priusquam securis nuptiis agi non potest, *tio.* ideoque non necesse, ut haec conditio exprimatur; *d. l. 20. & 23. b. tit.* vel pollicitatione, *l. 6. C. d. dot. promiss.* quæ in se habeat conditionem, nempe nuptias, quarum causa conventionis fit. *l. 10. §. 4. l. 21. l. 36. b. tit.*

## XI.

Ultima voluntate dos constituitur, vel testamento, vel *Vel ultima codicillis, vel etiam donatione mortis causa*, *l. 4. ubi pup. educ. voluntate. l. 71. §. 3. d. acondit. & demonstr. quæ promissiones, si a muliere factæ sunt, non valent, quoniam dos, quæ matrimonii oneribus non servit, nulla est, à quounque alio vero factæ subsistunt. l. 77. b. tit.* qui modi dicti omnes hanc habent conditionem, si nuptiæ fuerint subsecutæ. *l. 3. 21. l. 36. l. 43. ff. b. t.* si minus soluta dos repetitur, *l. fin. d. condit. sine causa* ut & donaria omnia, nisi osculum intervenerit, quo casu sponsus tantum dimidiā accipit. *l. 16. C. d. donat. ant nupt.* Nuptias vero subsecutas dici, non arbitramur, tum, quando solennitas nuptiarum adhibita cum *Moll. lib. 3. semestr. c. 23.* sed quando copula carnalis subsecuta, & hoc non tantum juris Saxonici, *lib. 3. art. 76. Landrecht. in verb.* Wenn das Ehebette beschriften.

sed etiam juris civilis l. 29. §. 1. b. t. ratione nisi videtur. Schneiderv. §. fuerat. Inst. d. action.

## XII.

*Lex pactis  
dotalibus  
praescribitur,  
que servan-  
da.*

Cum vero unusquisque, cum dotem dat, etiam legem rei suæ ab initio, quam velit, dare possit, l. 7. l. 20. §. 1. d. pacl. dot. pacta adhiberi solent dotalia, t. t. d. pacl. dot. quæ semper & omnino servanda, l. 2. l. 4. l. 10. depacl. convent. nisi bonis moribus adversentur, vel dotis caußam deteriorem reddant, ut sunt, quæ morte mariti, soluto conjugio, dotis repetitionem in persona uxoris aut inhibeant, aut differut, l. 14. cum II. seqq. d. pacl. dot. Bach. th. 7. lit. 6. vel nisi præjudicent tertio, quale est pactum, quod post dotem constitutam, vel a sola filia apponitur, l. 6. d. tit. Talia vero pacta ita se habent, ut pater in continentia stipuletur, quo actionem dotis in folidum in suam personam transferre possit, quæ alias cum filia ipsi communis. l. 7. ff. d. pacl. dot. l. 29. sol. matr. Bach. d. l. lit. B. C. Inde etiam extraneus dotem dando tempore oblationis sive promissionis statim sibi prospiciat pacl. si eam, mortua muliere, repetere velit, alias ad hæredes defunctæ transmittetur. l. 9. in fin. C. d. pacl. convent. Observandum, quod fidejussor & a muliere & quocunque dotem promittente recte accipiatur. l. 55. b. sit. l. 60. §. 1. mandari. Ut vero conservetur dos, a marito fidejussorem non exigimus, quoniam ita fidem ejus in dubium vocaremus. §. fin. Inst. d. replicat. l. 1. §. 4. d. præt. fip. Quod adeo verum, ut ne volente quidem marito, hoc procedat, cum eadem perfidia suspicio nascatur. Bach. vol. 2. disput. 7. th. 4. lit. G. & H. Diff. Conanus. 8. Comment. 9. Durrenus d. dot. cap. 4. Extraneus vero, qui dotem sibi reddi soluto matrimonio stipulatur, fidejussorem recte exigit, tum quod dictæ II. de uxore loquuntur, tum quod rationes in extraneo cessent, Bach. d. l.

## XIII.

Finis.

Quod foeminae dotentur, non hanc cum Matth. Gribald. ad rubr. ff. solut. matr. damus rationem, quod ingens malum absque pretio dato alteri vix obtrudi possit, sed potius dos ideo

ideo datur, ut maritus facilius conjugii onera, quæ in sylva nuptiali recenset Nevizanus, sustinere, l. 7. l. 56. § 1. l. 75. b. tit. l. 26. C. b. tit. & etiam mulier feliciter nubere possit, l. 2. b. t. idcirco tamen dotem de conjugii substantia esse nolumus, cum illud absque dote recte contrahatur, l. fin. C. d. donat. ante nupt. l. penult. C. d. repud. & inde uxor propter dotem promissam & non praestitam ædibus expelli nequit, multo minus matrimonium dissolvi, l. 8. C. d. repud. Nov. 22. c. 18. Hillig. Don. encl. 23. 13. 21. lit. K. Et utcunque dos promissa proprie dos non sit, l. 1. C. d. dotis causs. statutum tamen de lucro dotis etiam in ea locum habet. arg. l. 9. verf. hoc tamen. C. d. pac. convention. l. 2. 3. & 6. C. d. dot. prom. Alias enim injuria fieret marito, cui dos statim dari debuit, neque mora alterius creditoris damno cedere, & hoc procedit in promissione pura, quod si enim promissio facta sit sub die & conditione, interim mortua uxore, quia dos nondum fuit debita, aliud obtinet Bach. d. disp. 7. th. 1. lit. D.

## XIV.

*Effectus dotis vel spectatur in ejus obligatione, vel in ipsa dote constituta, quod obligationem spectat, certum est, cernens dotis promittentem ad solutionem dotis compelli posse, l. ult. C. obligatio-  
nem. b. t. Et quidem veteri jure, si dos pollicitatione erat pro-  
missa, actio dabatur ex pacto legitimo, l. 4. l. 6. C. d. dot. promiss.  
si stipulatione, actione ex stipulatu exigebatur. l. 3. C. d. dot.  
promiss. l. 8. C. b. t. Quoniam vero stipulatio hodie ineft pol-  
licitationi, dotem quovis modo promissam maritus petit  
actione ex stipulatu, l. un. pr. & §. 1. C. d. reiux. act. qua an bo-  
nae fidei, an stricti juris, non expeditum est, posterius eligi-  
mus, quia omnis actio ex stipulatu, stricti juris est, nec exce-  
ptio in hac probatur. Justinianus enim in l. un. C. d. reiux.  
act. quoniam præcipue mulieri voluit consultum, qualita-  
tem bonae fidei actioni e stipulatu, qua mulier experitur, tri-  
buit. Bach. d. disp. 7. th. 8. lit. A. Diff. Wesenb. w. b. t. n. 6. Com-  
petit insuper marito actio hypothecaria, qua jure pignoris  
persegitur possessionem ejus, qui dotem promisit, licet ex-  
trane-*

traneus sit, *l. un. §. 1. C. d. rei ux. ad. Schneid. §. fuerat. f. d. Ad. n. 28.* Quid si vero sacer legaverit testamento dotem, tunc videndum est, an dotem nondum debitam seu promissam legaverit, & tum sequutis nuptiis gener, & filia testatoris ex testamento agendi habent facultatem, *l. 43. §. ult. b. t. l. 71. §. f. d. condit. & dem.* si vero debitam leget & promissam, gener ex stipulatu, filia autem ex testamento contra hæredes experitur, *l. 69. §. 2. & l. 64. §. 6. d. leg. i. l. 5. C. d. dot. promiss.*

## XV.

*Ipsam dotem constitutam.* Dos constituta concernit & dotium jus, & repetitionem dotis, prius quod attinet, notandum, marito competere, constante matrimonio, dominium dotis, quod plenissimo jure persequitur secutis nuptiis in rebus æstimato datis, *l. 10. pr. l. 16. l. 69. ff. b. t. l. 10. C. h. t.* & fungibilibus, quaæ æstimatae vindentur, *Dn. Fomam. in pœl. ad l. 1. q. 2. C. ad exhibend.* earum enim omnium maritus emolumentum sentit & periculum subit, reneturque ad pœstionem uxori exempto, *l. 10. C. b. t. l. 42. ff. b. t. l. un. §. 9. C. d. rei ux. ad.* & quidem non tantum in rebus æstimatis id obtinere videtur, sed maxime etiam in rebus inæstimatis, *pr. Inst. quibus al. lic. vel non ibique Hillig. l. 9. §. 1. l. 75. b. t.* Hinc rem dotalem vindicat maritus, *l. 9. C. d. rei vind. l. 11. C. de f. dot.* (quaæ actio lis dominii *l. 18. pr. ff. d. V. S. nuncupatur*) etiam ab ipsa muliere, *l. 24. ff. rerum amot.* quod profecto dominium arguit, *l. 1. §. fin. l. 23. ff. d. rei vind.* Hinc vir servum dotalem manumittit, si sit solvendo, *l. 21. d. manumiss. l. 24. §. 4. l. 61. sol. matr.* quod soli competit domino, *l. 4. d. bis. qui a non dom.* Et quamvis dominus maritus sit, id tamen ita intelligendum, ut & uxor domina censeatur, in cuius dominio res in dotem datae, naturaliter permanserunt, *l. 30. C. b. t.* Unde dos proprie mulieris appellatur, *l. 3. §. 5. d. minor. l. 16. d. relig. & sumpt. fun. l. 14. ad l. Falcid.* & in ejus bonis, *l. 4. ff. d. collat.* atque ita diversum dominium in persona utriusque considerari potest. *Mejer. in Colleg. Arg. b. t. th. 17. Hillig. Dom. encl. 14. c. 4. lit. F. Guib. d. dot. c. 5.* Præterea maritus ita dominus est, ut post contracatum matrimonium, traditione

tione facta, fructus rei dotalis lucretur, l. 7. l. 10. §. 3. l. 32. l. 56. §.  
 1. & 2. b. t. l. 20. C. h. t. l. un. §. 9. C. d. rei ux. ad. l. u. d. pa. t. dot.  
 Adeo ut a muliere vel alio perceptos, etiam soluto matrimonio, repetere possit, l. 22. d. pa. t. dot. l. 21. §. 1. ff. d. don vir. & ux.  
 Nov. 22. c. 39. idque exquisima juris ratione, cum non tantum onera matrimonii, verum etiam dotis periculum sustinere cogatur, hoc autem verum in rebus aestimatis, in quibus omnis accessio & causa ad maritum pertinet, l. 10. C. h. t. in inestimatis vero rebus dotalibus accessiones ad compendium mulieris spectant, & si quid de his deceperit, ejus damnnum est. l. 10. pr. §. 1. 56. pr. & 75. b. t. Ex his igitur ea solummodo ad virum spectant, quae in fructu sunt, unde operæ servorum & ancillarum dotalium, l. un. §. 9. C. d. rei ux. ad & quæ ex operis eorum acquiruntur, marito adjudicantur, item lapicidinae aliorumque metallorum fodinæ, l. 7. §. 13. &  
 14. l. 8. sol. matr. ut & arbores cæduæ & gremiales. l. 7. §. 17. sol.  
 matr. Campeg. p. 2. q. 29. Item pecorum dotalium fetus, si in demortuorum capitum locum alia substituantur, mariti sunt. l. 10. §. 3. b. tit. Horum autem dolum & culpam vir praefat, diligentiamque eam quam rebus suis exhibet, l. 17. b. tit.  
 l. 18. §. 1. l. 66. pr. l. ult. sol. matr. quia videlicet dos utriusque conjugis gratia constituitur, l. 5. §. 2. commod. inde in l. 16. d. feud. dot. virum teneri videmus, qui cum potuit, non interpellavit cæptam rei in dorem datæ usucaptionem, ut & si nomen idoneum in dotem datum, illudque cum debitor esset solvendo, vir non exegit, & interim facultatibus labatur, marito hoc imputatur, l. 31. l. 71. b. t. Campeg. p. 2. q. 79.

## XVI.

Ex quibus illud fluit, an maritus rei dotalis alienandæ *Conseclaria*,  
 jus habeat? quod omnino videbatur dicendum. arg. l. 72. d. R.  
 J. l. pen. ff. d. pa. t. Verum cum Lex Julia fundi dotalis alienationem in tantum prohibeat, ut ne consentiente muliere, pr.  
 Inst. quib. al. lic. l. un. §. 15. C. d. rei ux. ad. Nov. 61. c. 1. id possit,  
 ea, tanquam in fraudem legis facta, merito illicita est, arg. pr.  
 Inst. quib. ex causs. manum. nisi vel illa sit de re mulieris, Auth.  
 C  
 si qua

*Si qua mulier. C. ad SCr. Vell. l. ult. b. tit.* Vel summe necessaria & juris habeat necessitatem. *l. i. d. fund. dot.* Ubi permittitur ex necessitate, quod ex voluntate prohibetur. *Campeg. p. 2. q. 38.* Vel etiam res estimata in dotem detur, ita ut elec<sup>tio</sup> mariti sit, *l. ii. ff. d. fund. dot. l. io. §. fin. ff. b. t.* *Guib. d. dor. c. 5. n. 16.* quibus in casibus lex Julia cessabit. *Coler. decis. 223. n. 35 usque ad fin.* Num vero iterato post biennium uxoris consensu fundi dotalis alienatio confirmetur, non satis constat. *Treutlerum video, & alios hoc asserere propter Nov. 61. c. 1. & l. 22 ad SCr. Vell.* Verum quoniam alienatio contra legem facta, adeoque ipso jure nulla, non videtur repetitione consensus fieri utilis, & lex etiam simpliciter alienationem interdicit, negativam tuemur *cum Bach. d. disp. 7. tb. 9. lit. D. Coler. d. decis. 223. n. 56. & Bard.* qui hanc communem esse tradit. *p. 7. q. 1. n. 5.* Et in tantum etiam maritus dotalem fundum alienare prohibetur, ut si juramento id velis firmare mulier, alienatio robur inde nullum accipiat, sed prorsus invalida sit. *l. 7. §. 16. d. pa<sup>g</sup>. l. 5. C. d. legib.* In quo jus canonicum a jure civili discessum facit, ubi alienationem juramento adjectio corroborat, *c. licet. 2. extra. d. Jurejur. in 6. c. 28. extra d. jurej. Pom. disp. Inst. 13. tb. 12. l. c. Rittersb. in diff. jur. civ. & canon. lib. 3. c. 3. Campeg. p. 4. q. ii.* Et quod jam dictum, de rebus immobilibus intelleximus, quoniam lex Justinianea illarum tantum meminit, atque ad res mobiles produci non potest, sed earum alienationem permitit, quod & firmatur *l. 3. §. 2. d. suis & legit. l. 3. C. b. t. l. i. & ult. C. d. serv. pign. dat. l. 42. ff. b. t.* Nec quicquam officere videtur *l. in rebus 30. vers. omnis C. b. tit.* cum illa constitutio pertineat ad eum casum, quo citra alienationem a marito factam, res quocunque modo ad alium per-  
venit. *Bach. d. disp. & tb. l. c. Guib. c. 5. n. 15.*

## XVII.

*Repetitio do-*  
*tis sū matri-*  
*etiam de ejus repetitione, quae fit soluto matrimonio, idque*  
*monosoluto, vel morte, vel divorcio, solvit enim morte & mariti &*  
*Morte ma-*  
*uxoris. Marito moriente, dotem pater cum filia in sacris*  
*rīti,* ipsius

ipius constituta & consentiente petere debet, l. 2. §. 1. ibi: ipsius & filie. & §. 2. l. 3. ibi: que communis est patri l. 22. §. 3. sol. mair. l. 7. C. eod. l. un. §. 14. C. d. rei ux. ad. ita, ut et si actio cum filia sit communis, exercitium tamen soli competit patri, l. 21. §. 3. d. pacl. ubi voluntas utriusque desideratur, ita ut si filie in vitro patre soluta, patri actio integra sit, l. 3. sol. matr. nisi sit redita non perditure, sed ex causis justis, l. 22. §. 1. d. t. quod etiam in filia obtinet, ut si patri ipsa invita soluta actionem habeat, postquam sui juris facta, l. 2. §. 1. sol. matr. Et haec procedunt durante potestatis vinculo, si enim filia emancipata, sola recuperat dotem profectitiam, l. 2. §. 1. l. 34. solut. matr. l. 71. d. evict. l. 5. d. Divort. l. un. §. 11. C. d. rei ux. ad. adeo ut hoc casu filiae contra ipsum parentem, si bona mariti ex testamento ad eum perseverent, actionem competere putemus, l. 44. solut. matr. Adventitiam vero dotem vidua sola repetit, l. fin. C. solut. matrim. si vel non fuerit receptitia, l. un. §. 13. C. d. rei ux. ad. vel fuerit quidem, sed uno saltu in casu, matrimonium vero ex alio sit solutum, arg. l. 22. solut. matr. idque obtinet, quamvis in sacris paternis subsistat. l. 45. solut. matr. Repetit & profectitiam, si pater in insulam deportatus fuerit, l. 42. solut. matrim. licet matrimonium ante deportationem fuerit solutum.  
 d. l. 42 Uxore moriente, dotem profectitiam, nisi aliud patrum l. 12. pr. d. pacl. dot. pater non solum, si filia in potestate ris. Morte uxoris. constituta, l. 4. C. solut. matr. sed & si emancipata sit, l. 5. d. divort. repetit, ne & filiae amissae, & pecuniae damnnum sentiat, l. 6. b. t. l. 10. l. 59. solut. matr. Si vero liberi sint superstites, apud maritum manere debet, quod in toto terrarum orbe servari ait Guid. Pap. in conf. 12. n. 8. Tessafr. dec. 190. Dos autem adventitia olim penes maritum remansit. Ulpian. in frag. iii. 7. Hodie nisi aliud patrum, mulieris heredes eam repetunt, l. un. §. 6. d. rei ux. ad. Nov. 21. c. 39. Nov. 98. c. 1. Si vero is, qui dedit, eam si bi reddi pactus fuerit, etiam repetit, l. un. §. 13. d. rei uxor. ad.

## XVIII.

Et ita morte utriusque conjugis dos repetitur, divorcio facta, & quidem culpa mulieris, dos profectitia filiae in

sacris paternis existentis ad patrem, si vivit, revertitur, Nov. 22. c. 19. si minus marito reservatur, l. un. §. II. d. rei uxori. act. mulierque ea privatur. l. 24. C. b. t. Profectitia data emancipatae ad maritum pertinet, l. 71. d. evid. l. 5. d. divorz. l. 59. solut. matrim. nisi uxor idcirco diversa fuerit, ut maritum lucro dotis afficiat, patrem fraudet d. l. 5. Adventitia marito relinquitur, nisi is, qui dedit sibi eam, reddi fuerit pactus, l. 24. C. b. tit. l. 8. §. 4. C. d. repud. l. 38. fol. matr. Et si liberi adfuerint, maritus illis dotem servat, si non, eam ipse lucratur, l. un. in fin. C. si dos const. matr. Nov. 117. c. 13. Inter culpas vero, ob quas mulier doceatur privatur, primum habet locum adulterium, cuius, si rea facta fuerit, dotem perdit, eamque maritus retinet, l. 8. §. 5. C. d. rep. Nov. 117. c. 8. §. 2. l. ult. C. ad L. Jul. d. adult. Col. dec. 176. n. 43. Magnif. & Nobiliss. Dn. Petrus Theodoric. Rektor h. t. & Ordinarius meritisimius. Dn. Preceptor. & Promotor meus eternum honorandus Colleg. crim. disp. 6. th. 3. lit. M. Quod adeo verum est, ut si maritus uxorem adulterii accuset, ob superventum autem mortis accusationem persequi prohibetur, ejus hæredes succedant, & dotem prosequantur, arg. l. 13. pr. d. injur. quod autem fallit, si vel ipse adulterium commiserit, quo casu datur compensatio, l. 31. fol. matr. vel mulier viri lenocinio adulterata fuerit, cum fero hi mores improbentur, quos maritus antea corrupti, vel post probavit, l. 47. fol. matr. An vero idem ad mulierem, qua osculum sibi impingi patitur, possit extendi, sepe quæsumit est? Et non incommodè distinguitur inter osculum humanitatis & officiosum, quod in Frisia Dn. Arum. exerc. 20. th. 20. in Anglia Munster. l. 2. Geogr. 15. fol. 56. in Gallia Job. Pierr. l. 2. Hieroglyphic. in Belgio & aliis in locis alii summe honorificum esse referunt. Illud cum omni culpa vacet, & criminis, dote mulierem non privat. Et inter osculum luxuriosum seu amatorium, quod quoniam preparatorium adulterii gl. ad l. 13. C. ad L. Jul. d. Adult. & libidinis incentivum dotis amissione mulierem multari defendi potest. Guib. d. dot. 6. n. 35. Matth. Stephan. cent. 1. q. 99. Idque probe animadvertisens Rudolphus I. Imperator Episcopum Spirensen ob osculum

Au-

Augustæ furtim datum exulare, alium agnum deosculandum sibi quærere jussit, *Apolept. im Regentenbuch in Rudolph. I. p. 453.* & *Joh. Becher. in der Thüringer Chronick. p. 305.* nec illud etiam ignorandum est, viduam, quem impudice vivit, & mortuo marito, stuprum committit, dotis amissione nequaquam puniri, nec per hæredes mariti recte vindicari, licet enim adhuc in conjugio esse, *I. ult. C. d. bon. matr. Novell. 22. c. 20. §. 1.* defuncti domicilium *I. 22. §. 1. ad municip. & honores pristinos I. 8. Senat. I. 13. C. d. tign. obtinere censeatur, cum tamen marito nullum,* aut in uxorem, aut in dotem jus sit, ridiculum est, dotem per hæredes mariti posse vindicari, quam assertionem probat *Pinell. in I. 4. C. d. bon. matr. n. 9. & 10.* Eamque in praxi receptam docet & confirmat *Nov. 38. §. ult. Bach. d. disp. in fin. Diff. Guib. c. 6. n. 30.*

## XIX.

Quamvis autem matrimonio constante, regulariter dos *Constance* peti non possit, *I. 7. C. solut. matr. & ea lege detur, ut penes matrimonio* maritum pro oneribus matrimonii perpetuo sit, *I. i. I. 76. b. tit.* videmus tamen quandoque contingere, ut necessitate vel utilitate exigente, dotis repetitioni locus sit, videlicet *I. Si maritus facultatibus suis labatur, easque ad dotis exactiōnē facultatibus non sufficere palam sit, I. 24. pr. solut. mar. I. 29. in pr. I. 30. ibi: labitur: minus autem idoneis. C. b. t. vel etiam si sufficerint, maritus vero bona male gubernare occipiat, jure repetitur, Nov. 97. c. 6. pr. vers. quia enim. quoniam in tempore mulieri subvenientium, quam infelix expectandus exitus, arg. *I. fin. C. in quibus causs. in integ. rest.* Non tamen ita, ut eam pro arbitrio alienet, sed ut salvis interim pactis dotalibus ex fructibus se maritum & liberos sustenteret, *I. 73. §. 1. ff. b. t. I. 22. §. 8. vers.* Si vero *ff. solut. matr. I. 29. vers. ita tamen C. b. t.* donec maritus ad pinguorem conditionem & mores sanos redierit, ubi dos ipsi restituenda arg. *I. 27. §. 2. vers. quod etiam d. paſt* quam assertionem tanquam concordia maritali magis congruam sequitur *Gail. 2. obſerv. 85. Diff. Campeg. p. 3. q. 47.* Si vero a viro bona dilapidante dotis repetitio jam fiat, mulier autem furiosa sit, dos*

sequestranda venir, l. 22. §. 8. verf. *Sin vero solut. matr. l. 21. in fin. ff. d. appell.* post si sanæ mentis facta fuerit, ei restituitur. *Novell.*

- 2) *ob mari-* 97. c. 6. II. Repetitur *ob mariti deportationem*, & aquæ vel ignis interdictionem, l. i. C. d. *repud.* licet enim per hoc non solvatur matrimonium, cum tamen mariti bona publicentur, indotatam mulierem esse nec ratio æquitatis, nec exempla permittunt, d. l. i. Dotem itaque a fisco repetere potest, l. 31. pr. *sol. matr.* III. Si propter pietatis rationem patri in exilium vel insulam relegato alimoniam præstare debet, l. 37. §. 1. ff. h. tit.

## XX.

*Quando restituatio dotis facienda.* Dicendum etiam, intra quantum tempus, soluto matrimonio, dotis restitutio sit facienda, & quidem Justinianus mulieribus propiciens res immobiles illico, sicut olim, restitui voluit, l. un. §. 7. verf. *exactio C. d. rei uxor. act.* ita, ut si eo tempore non restituantur, maritus usuras usque ad tertiam partem centesimæ præstare debeat, d. l. un. §. 7. Illud tamen iure civilis temporementum capit, l. 105. d. *solut.* & per Auth. Sed neque C. d. *sepulchr. viol.* ubi nemo ante 9. diem ab obitu ad numerandum molestari debet, Jure Saxon, vero inter 30. diem, art. 15. lib. 3. Landrecht. In mobilibus vero rebus non annua bima trima die, sed omnimodo intra annum exactio dotis celebretur, l. un. §. 7. d. *reiuoxer. act.* Rationem differentia suppeditan illam, quod res soli facilius reddantur, quam ceteræ, ut quas forte maritus vel crediderit, vel in promptu non habeat, ideoque ad conquerendas pecunias aliquod illi concedendum sit interstitium, præsertim cum mulier intra annum luctus ab hæredibus alatur, Guib. d. *dot. c. 6. n. 18.* Campeg. p. 2. q. 16. Wesenbee. *pr. sol. matr. n. 5.* Hillig. Don. encl. l. 14. c. 5. lit. F. Restituitur autem non solum res ipsa, d. l. ff. & C. *solut. matr.* & quæ evictis rebus æstimatis ab uxore maritus iudicio empti consequitur, l. 16 ff. h. t. Sed etiam dotis in aestimata commoda, cum quæ non in fructu, tum etiam quæ in fructu, sed percepta vel ante nuptias, vel iis dissolutis prorata temporis novissimi anni, quo matrimonium solutum, l. 7. §. 1. l. ii. l. 31. §. *fin. solut. matr. l. 78. §. 2. verf. divorce. ff. b. t. l. un. §. 7. in fin. & §. 9. verf. fatus autem C. d. rei uxor. act.* quomodo vero divisa frumentum

*Quum in l. 7. §. 1. sol. matr. proposita, instituenda, vid. Hillig. Don. enac. l. 14. c. 7. lit. D. Bach. hic th. 12. lit. C. Hic etiam pro antiquitate notandum, Gallos in dotibus & dotium fructibus retinendis olim hoc jure usos, uti Cæsar. lib. 6. d. bell. Gall. scripsit. Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine accepissent, tantas ex suis bonis estimatione facti, cum dotibus communicabant. hujus omnis pecunia conjunctim ratio habebatur, & fructus servabantur, uter eorum vita superasset, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum perveniebat. Guib. d. dot. c. 6. n. 12. in fin.*

## XXI.

Aetio, qua dos repetitur, pro diversitate auctorum diversa *Aetio*. est, & vel agit extraneus, vel mulier ejusque parens. Extraneus, si dorem sibi reddi stipulatus, actione ex stipulatu, si vero saltem pactus, actione praescriptis verbis agit, l. 6. l. 24. C. b. t. l. un. agit ex stipul. 13. C. d. rei uxor. aet. Don. lib. 14. comment. 7. Mulier & ejus latu & proxime nomine parens actionem ex stipulatu, sive interposita fit stipula scriptis verbis, sive non, intentare potest, l. un. §. 2. & 6. & 13. C. d. rei uxor. bis: mulier aet. non tantum adversus maritum, ut in id, quod facere potest, & parens ex quod rei judicata tempore spectatur) condemnetur, l. 12. 15 pr. stipulatu, l. 43. solut. matr. l. un. §. 7. C. d. rei uxor. aet. §. 37. Inst. d. aet. sed etiam adversus sacerdotum l. 21. d. re jud. l. 15. §. ult. l. 22. §. 12. ff. solut. matr. Et mariti uxorisque filios, qui patris haeredes extire, l. 18. pr. solut. matr. Interdum non in tantum, quantum facere potest, sed minoris maritus condemnatur, si scilicet impensis fecerit, exque si necessaria deducuntur l. 7. § fin. solut. matr. utpote qua ipso jure dotem minuant, l. 5. pr. ff. de imp. in res dot. fact. si utiles, & voluntate mulieris facta, mandati, si absque ea, negotiorum gestorum actio nascitor, l. un. §. 5. C. d. rei uxor. aet. si vero voluptuaria tolluntur, & quidem, si separationem patiuntur, l. 9. ff. d. imp. in res dot. fact. Don. 14. c. 8. Postea etiam in dote repetenda mulieri rei vindicatio conceditur, quam pro rebus dotalibus vindicandis adversus maritum creditorem, & alium illarum rerum possessorem exercere potest, l. 30. C. b. tit. Don. 14. comm. c. 7. fin. Guib. c. 6. n. 13.

Et

rei vindic.  
tione


*& actione  
hypothecaria.*

Et tandem etiam actione gaudet hypothecaria, non solum pro rebus dotis, quas jure maritus abalienavit a qualibet possessore recuperandis, verum etiam pro bonis mariti, quæ mulieri tacite obligata sunt, *l. un. s. i. C. d. rei uxor. ad. §. 29. Inst. d. Ad. Guib. d. dot. c. 6. n. 14. Don. d. l.* Ethic receptui canendum hac quæstione, an mulier omnibus creditoribus expressam anteriorem hypothecam habentibus præferatur? Affirmativam non tam demerendi favoris muliebris, ut Arithmæus in *peric. 2. disp. Academ. 7. th. 8. lit. B.* jocatur, quam veritatis afferendæ cauſa defendemus, nisi non tantum generalitate textus, *l. assiduis 12. C. qui pot. in pig. & Nov. 97. c. 3. Bach. traſz. d. pig. lib. 4. c. 12. n. 1. & 2. fed & variorum judiciorum præjudiciis.* Sic enim in Camera Mynsing. 4. observ. 13. in Scabinatu Marpurgensi Phil. Matth. ad *I. 68. n. 20. d. R. F. & Gedd. consil. Marp. vol. 1. conf. 24. n. 301.* in Scabinatu Francofurtenſkob. *disp. infl. 14.* pronunciatum referunt, & jure tandem municipali Würtembergico idem servari notat *Besold. Dissert. d. pig. scđ. 7. n. 6.* Atque ita Disputationi huic de dotibus finem feliciter imponimus.


*DEO in essentia Uni, in Personis Trino sit laus,  
honor & gloria in sempiterna secula.*


























E0-Zeg 2002


01 A 6734



① A

Rehbe





D. ERASMI UNGEPAUR,  
JCTI EMINENTISSIMI, CONSILIARI Saxonici GRAVISSIMI,  
FACULTATIS JURIDICÆ SENIORIS MERITISSIMI, NEC NON CURIAE  
PROVINC. ET SCABINATUS ASSESSORIS SPECTATISSIMI,

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**JURE DOTIUM,**

Vom  
*Recht der Ehe-Selder/*

IN ACADEMIA JENENSI  
ANNO M. DC. XXXVIII.  
HABITA,

RESPONDENTE  
**ALBERTO PHILIPPO** von Schlotheim,  
EQ. THUR.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
APUD IO. CHRISTOPHORUM KREBSIUM, MDCCXXIV.